

Andreas Gottfried Ammon

**Programma In Funere ... Dni. Jacobi Dopken, LL. Studiosi, Propositum Publice,
Studiosam Regii Gymnasii Carolini Iuventutem Ad Augendam Exsequiarum
Celebritatem Solenni Ritu Invitans : [P. P. Stetini, a. d. VII. Idus Decembr. Anno M
DC LXXI.]**

Stetini: Starck, [1671]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777435756>

Druck Freier  Zugang





II - 1561.^{20.}

PROGRAMMA
IN FUNERE
PEREXIMII, PRÆSTANTISSIMIQUE
DNI. JACOBI
DOPKEN,
LL. STUDIOSI,
PROPOSITUM PUBLICE,
STUDIOSAM REGII GYMNASII
CAROLINI JUVENTUTEM
AD AUGENDAM EXSEQVIARUM
CELEBRITATEM

SOLENNI RITU
INVITANS.



STETINI,
Typis DANIELIS STARCKI, Reg. Gymn. CAROLINI Typogr.

II. 1560



Rektor Gymnasii CAROLINI
Andreas Gothofred. Ammon,
 SS. Theol. Licent. & P.P. Ordin.

STUDIOSÆ JUVENTUTI S.



*Vem nuper celebravimus decimum septimum Incl. Regis CAROLI, Nutritii nostri munificentissimi, eundemque Carolini Gymnasii quintum Natalem, idem fatalis fuit humanissimo præxi-
 miog. DNO. JACOBO DOPKEN, LL. STUDIOSO, postquam annos triginta ipsos in hac vita exegisset. Illum anno seculi hujus quadragesimo primo a. d. V. Nonas Quintiles natum hic Stetini patre Andrea Dopken, Cive ac Mercatore honestissimo, Matre Anna Schreiberia, sacroq. lotum baptismate, ad pietatis ac virtutum studia manuductum educatumq. accepimus, cum privata parentum ac pedagogorum opera, tum in publi-*

publicis formanda iuventutis officinis. In Regiam quidem Gymnasium receptus est anno MDCLIX. die XVII. Januarii à ProRectore D. Schævio, cujus, caterorumque Profesſorum informatione cum fuiſſet uſus biennium, miſſus eſt in VVittebergensem Academiam anno ſeculi LXI. ibidemq; juris, quod elegerat, ſtudio incubuit. Reverſus Parentum Conſilio in Academiam ſe Regiomontanam contulit, ubi anno LXII. Novembri menſe convictor eſſe cœpit D. VVolderi, Antecęſoris ac Facultatis Juridicę ibidem Senioris, privatâ interim quoq; opera D. Schimmelpfenning, utiliter uſus. Rediens Elbingam, Marienburgum, Braunsbergam, Thorunium, Gedanum vidit, domumq; relatus, anno LXIV. Francofurtum adiit, ubi & Philoſophorum & Jurisconſultorum lectionibus publicis ſedulus auditor interfuit. Mater autem egrota ſequenti anno filium ad ſe accerſivit, cui præſtiturus hic ſolacium domum non invitus rediit. Illâ paulò poſt ex hac vita divinitus evocatâ Patri volenti ac jubenti exſtitit adjutor tuendę adminiſtrandęq; rei familiaris. Nec tamen interim neglexit illud, quod profitebatur, Juris ſtudium, quantum videlicet conſtitutio, viresq; corporis paterentur. Quemadmodum enim erudita iſta, quę viderat, emporia, ingredienti vitæ iter, partim præceptis, partim exemplis traditis, viam monſtraverant, ita nec deerat ruminandis illis ſtudiis eidem vel in patria occaſio.

sio. Tres istæ Academia, in quibus eum versatum esse diximus, quemadmodum à duobus Imperii Romano-Germanici principibus Electoribus, eorumq; successoribus erecta conservataq; sunt prudenti consilio; ita nullum est dubium, quin huic inter alumnos ceteros exquisita ingenij pabula abunde suppeditaverint. Prima illa quidem VVittebergensis, à Friderico Electore Saxonie, quæ Sapiens cognomēto dicitur, instaurata fuerat anno MDII. die XIX. Octobris S. Lucae Evangelistæ in fastis sacro. Agitata erant in Comitibus VVormatiensibus sub Maximiliano I. Imper. anno MVD. habitis consilia, quomodo excitari provehiq; in Germania rectiora studia possent, ne indulgentibus suo luxui Canonicis, quorum Collegia à Carolo M. & seqq. Imperatoribus fuerant instituta propagandis illis studiis, quæ sacra ac civili Reip. sunt necessaria, veræ doctrinæ cupidi magno sumtu adhibito exterarum adire terras cogerentur. Visa est tandem commodissima ratio, si Electorum Principum quisq; institueret in sua ditione Academiam, doctosq; in ea viros, à discendi cupidis audiendos publico stipendio aleret: Sic enim incitatum iri Ordines ceteros, ut commonefacti suarum partium & iuventutem veræ sapientiæ virtutumq; studiis curarent imbui, & dignitatem Imperij tuerentur amplificarentq; in posterum; id quod prudentibus consiliis, ex libris monumentisq; sapientum petendis, quàm armis præstari

stari rectius queat. Saxonia, quem diximus, Elector, quod ab se initio profectum meminisset consilium, urgere institutum redux, Martinum inter alios Pollichium Mellerstadium, perspecta prudentia integritatisque virum consulere de commodo Academiae loco, ejusque praesagis quasi vocibus impelli ad condendum VVittenbergae templum, excitandamque ibidem Academiam, cujus aliquando luce plures passim gentes illustrarentur. Historia copiosius descripta legitur Tomo sexto Orationum, quae scriptae sunt ac recitatae superiore seculo in Academia VVittebergensi, Oratione illa, quam anno MDLXX. die Natali Academiae ibi habuit Stephanus Gans, liber Baro in Pudlitz. Exemplum illud secutus est Joachimus I. Marchio Brandenburgicus, Elector, conditor Academiae, quae est in vicinia Francofurti ad Viadrum. Ejus enim anno MDVI. a. d. V. Kalend. Majas facta est inauguratio, primusque celebratur Rector, Conradus VVimpina, Teclianarum indulgentiarum mangonij hyperaspistes. In Ducatu Borussiae, quem pace cum Sigismundo Poloniae Rege facta Albertus Marchio Brandenburgicus, Magister ordinis Teutonici, obtinuerat, idem instauravit Academiam, cujus primum Rectorem esse voluit Georgium Sabinum, Brandenburgensem. Urbis ipsius, quam Regium montem vocant, Odoacer Rex Bohemiae, opem ferens Ordini Equitum S. Mariae Virginis, fundamenta jecerat

cerat anno MCCLV. Tribus propemodum seculis post, anno MD XLIV. d. VII mensis Augusti Academia facta est inauguratio. Illis igitur in Academiis beatè mortuus vivens, quamdiu visum est, audit, quæ cum ad dicendum, tum ad judicandum valerent. Morum verò ejus integritas obscura non est, perhibentq; illi probitatis ac modestiæ testimonium, quibuscum fuit conversatus. Immensas divinitus calamitates superavit tolerantia digna Christiano homine, solo Dei auxilio gratiaq; confusus. Nam hunc se in modum confirmavit ipse, cum Matre primum, deinde etiam Patre orbaretur. Morbos igitur ac dolores corporis imbecillitatemq; tenuissimæ valetudinis levavit ille quidem remediis adhibitis, quamdiu potuit: sed posteaquam nihil ea viderentur proficere, animam & corpus, suaque omnia divina voluntati planè resignavit. Mensis proximè præterlapsi die XXIII. cum concioni habitæ in aede sacra interfuisset, domum reversus modicè incusavit frigoris vehementiam, de ventriculi præterea membrorumq; debilitate congestus. Hypocausto exiens cum tentaretur vertigine, sublevatus est à fratre ac deductus in lectum. Adhibita sunt postea de Medicorum consilio remedia; sed ingravescente vi morbi, cum ipse vitæ finem sentiret instare, cupiit instrui S.S. corporis & sanguinis Christi viatico, quo potitus præbente Reverendo V. D. Ministro d. XXIV. Novembris est mortuus, sub
horam,

boram, ut nos numeramus, octavam, annos natus triginta. Erat is dies, ut aliàs dictum est, Chryfogono sacer, qui cum S. Anastasiam, patritiam Romanam in Christiana fide informasset, cum illa relatus est inter Martyres, capitisq; supplicio sub Diocletiano Imp. affectus. Natalem beatè mortui, tertium diem mensis Julii fuisse diximus, quò fasti memoriam Cornelii recolunt. Is sub A. Christi CCL. Episcopus Romanus fuit, ad quem exstant scriptæ nonnullæ epistolæ S. Cypriani Carthaginensis Episcopi. Noster verò ille in ipso atatis flore exstinctus juventutem potissimum commonefacit humanæ fragilitatis, à qua nec illa est immunis ætas. Hujus igitur, Studiosi Juvenes, recordati sedulò minuire discetis cupiditates fluxarum rerum, veraq; felicitatis post hanc vitam demum piis obventura, æternumq; duraturæ studio indies magis magisq; inflammabimini. Cras verò hora consuetæ Professores vestros dato signo exsequias ituros comitabimini, decorâq; frequentia dignos Rep. literaria honores beatè defuncto exhibebitis. Valete. Scripsi a. d. IIX. Idus Decembres, die S. Nicolai, Patara oriundi. Vixit hic tempore Constantini M. à quo liberatus est ex carcere, in quem à Diocletiano fuerat conjectus, mortuusq; est paulo post Concilium Nicænum, cui senex interfuit. Episcopus erat Myræ in Lycia, cujus urbis meminit S. Lucas in itinerario D. Pauli Actorum Cap. XXVII. v. 5.

De

De vita illius, qui volent, plura legent alibi. Nos hoc loco Juventuti duas ejus virtutes imitandas proponimus: Unam, quâ Deo se atque alios seriis precibus commendare est solitus, veluti cum ex Lycia in Ægyptum navigans, ortâ tempestate, presentissimoque proposito vita periculo, precibus suis tranquillitatem à Deo impetravit, salvusque cum nautis evasit. Unde postea nata est ansam superstitio, quâ nautarum patronus S. Nicolaus est habitus, ejusque nomen potius, quàm ipsius Dei, à laborantibus invocatum. Altera laus est beneficentiae erga proximum sine affectatione honoris aut existimationis: Quò pertinet ista narratio de erumena, quam pecunia refertam in cubiculum vicini ad summam egestatem redacti, deque prostituendis inopiâ dotis filiabus tribus cogitantis, projecerat. Sed hæc, quod diximus, legi possunt alibi. Nos institutum D.V. cras persequemur, nostræ quoque mortis, & in istis exsequiis, & aliàs semper memores futuri. VALETE.


P. P.

STETINI, a. d. VII. Idus Decembr.

Anno M DC LXXI.

o(s)

6



boram, ut nos numeramus, octavam, ta. Erat is dies, ut aliàs dictum est qui cum S. Anastasiam, patritiam Romana fide informasset, cum illa relatus capitisq; supplicio sub Diocletiano Imp. beatè mortui, tertium diem mensis Jovis quò fasti memoriam Cornelii recolunt CCL. Episcopus Romanus fuit, ad quam nonnulla epistola S. Cypriani Carthaginiensis. Noster verò ille in ipso aetatis flore exspectatissimum commonefacit humana fragilitate illa est immunis aetas. Hujus igitur aetatis, recordati sedulò minuire discetiarum rerum, verèq; felicitatis post beatitudinis obvolutura, aeternumq; duratura magisq; inflammabimini. Cras verò obsequiosos vestros dato signo exsequias in ecclesia decoratq; frequentia dignos Rep. literarum defuncto exhibebitis. Valete. Scripsi die S. Nicolai, Patara o. Constantini M. à quo liberatus in quem à Diocletiano fuerat coniectus paulo post Concilium Nicenum, cui se Episcopus erat Myrae in Lycia, cujus urbs in itinerario D. Pauli Actorum

trigin-
no sacer,
Christi-
artyres,
Natalem
iximus,
Christi
t scripta
Episcopi.
entutem
qua nec
si Juve-
s fluxa-
demum
s magis
eta Pro-
bimini,
es beatè
dus De-
tixit hic
carcere,
usq; est
nit. Epi-
S. Lu-
VII. v. 5.
De

